DISSERTATIO
DE
VSV LINGVAE ISLANDICAE
IN
ENODANDIS TERMINIS IVRIS
DANICI ET NORVEGICI

SCRIPTA AB
OTTONE HALTORI FIL. VIDALINO.

HAVNIAE
EX OFFICINA STEINIANA
A. CH. N. M DCC LXXXVI.

OTTO HALTORI FIL. VIDALINVS
LECTORI SVO
S. P. D.

Legibus academicis obſequuturus eam praecipue ſcribendi materiam delegi, quam e re noſtra fore animaduertebam. Et enim quum lingua Islandica eadem ſit, in qua priſcae Danorum & Noruegorum leges ſcriptae ſunt; & ſcitu facillima, utpote quae adhuc in ore mortalium verſatur; & verbis abundantiſſima, tot monumentis ſuperſtitibus; & denique ea ſit lingua, ex qua hodiernae Danorum tum natiui aliquid ornatus, tum copiae non parum, decenter adhibita poſſit accedere: *huius* quidem *linguae in iurisprudentia Danica & Noruegica vtilitatem* nobis enarrandam ſumſimus. Neque tamen dialectos cognatas inſpicere diſſuademus. Quanquam autem antiquitas nulli ſatis perſpecta plerisque ſordeat, & vulgo eam res ſuas ſibi habere iubeant: ſed certe iureconſulto vtilis eius cognitio ac neceſſaria merito habetur. In his enim tenebris latet anima legis, vita iuris prudentiae, origo illa, a qua ceu fonte perenni ſua haurire debet non ſimulatus iu-

ſtitiae ſacerdos. Et ſi vero vnus ex omnibus minime ſum ad hanc diſſertationem bene tractandam accommodatus, quod & otio his Muſis debito, & iuſta iuris antiqui notitia, & libris maxime idoneis deficior: tamen, quum ſatius ducerem aliquid conari, quam nihil agere; ſtatui hoc exiguo ſpecimine commilitones meos florentiſſimos & rebus omnibus adfluentiores, cupidam legum iuuentutem, ad tam praeclarum exercitationis genus capeſſendum incitare; ac viam eo ſtadio currere non recuſantibus vtcunque monſtrare. Qua ſi me cogitatione non omni ex parte fruſtratum dixeris: eo tuo iudicio vehementer laetabor.

At neque ſilentio nobis praetereundum exiſtimauimus, huic diſſertatiunculae, quam pro Communitate, vt vocant, regia ſcripſimus, vulgandae ſumtus, ex pecunia praedicti corporis vſibus deſtinata, CURATORES maximam partem ſuppeditaſſe. Quare, LECTOR BENEVOLE, ſi quid in iſtis pagellis non plane improbaueris, id omne illorum in me fauori, & erga te ſtudio magnopere velim tribuas. Hoc mihi gratiſſimum feceris. Vale. Scripſi Hauniae a. d. XVI. Calend. Iun. A. C. M DCC LXXXVI.



DISSERTATIO
DE
VSV LINGVAE ISLANDICAE
IN ENODANDIS TERMINIS IVRIS DANICI ET NORVEGICI.

§. 1.

EXPLICATVRO mihi, quantum ad terminos iuris Danici & Noruegici enodandos faciat lingua Islandica, commodissimum visum est, *primum*, quae sit ea lingua? finire; ac *deinde* vtilitatem eius, quam commendamus, exemplis fusius ostendere: vti omnia, quasi in aprico posita, eo rectius intelligantur.

§. 2.

Igitur LINGVAM ISLANDICAM accipimus *eam, qua bona Europae pars olim communiter vsa est* a);

a) Suis tamen, quod est intellectu facile, dialectis distincta.

in primis vero in Dania, Suecia, Noruegia atque Anglia peruignit. illa & *Noruegica* (norræna) caeterum praecipue *Danica* (daunſk túnga) maioribus noſtris adpellabatur.

§. 3.

Et ſane eorum, quae iam a nobis dicta ſunt, infinita prope teſtimonia adferre poſſemus: verum hunc laborem ante occuparunt, feliciterque perfecerunt, gentilis meus ARNGRIMVS IONAE *b*), & proauus paternus, vir doctus, & de antiquitatibus iuris Islandici bene meritus, PAVLLVS IONAE FIL. VIDALINVS, qui de hac materia etiam ex inſtituto egit *c*): quare hic longiores eſſe nolumus.

§. 4.

Atqui hac tempeſtate ſoli omnium hominum gentiumque lingua Danica antiqua vtuntur Islandi, ac toto orbe terrarum *Islandica* adpellatur. Quod hic etiam ſi contra opinionem paucorum nobis probandum eſſe videatur: tamen in illa copia ſcriptorum, cum veterum, tum recentiorum, qui id, quod adſeueramus, Islandos veteri illá lingua Danica etiam num vti, extra omnem dubitationem poſuerunt *d*), equidem pluri-

b) Crymog lib. I. c. 5. pagg. 26. 27.

c) Antiqq. Iur. Isl. voce: daunſk tunga; quae tota disquiſ. impreſſa legitur ad calcem Vitae Gunnl. Vermiling. ed. Haun. 1775. pag. 220. ſeqq.

d) Vid. Crymog. l. cit. pag. 28. Et Vita Gunnlaugi Vermil. praef. pag. XXVI. ed. laud. Et IOH. IHRE Gloſſ. Suiogoth. prooem: de Ling. Isl. pag. XXXIV. Item libellus *ἀδέσποτος*, qui inſcribitur: Tanker om det Danſke Sprogs nye og gamle Tilſtand, ed. Haun. 1766. pag. 18. 19. 20.

pluribus in praesenti agere supersedemus. Et his breuiter, ac pro modo instituti commemoratis; iam ad ea, de quibus initio dicturos promisimus, pressius persequenda adcingemur. Ita vero hoc opusculum optime processurum credidimus, si glossas eorum, qui de iurisprudentia Danica & Noruegica quodam modo commentati sunt, tamen & si linguae Islandicae non admodum gnari, in medium prolatas, huius linguae ope, siue praua etymologia, vel omnino nulla superstructas deriuemus, siue etymi ignorantia minus bene explicatas dilucidemus, efficiamus que planiores.

§. 5.

Itaque de glossariis nostris paullo vetustioribus, ac ante, quam lingua Islandica interpretibus legum, quod hoc vtique saeculo contigit, nouam lucem luxerat, conditis, valeant illa IAC. PERIZONII, viri clarissimi: *inspicite*, inquit, *glossas & interpretamenta doctorum — & si potestis, risum tenete ad errores ita absurdos saepe, & ineptos, vt nihil supra* e). Et haec quidem Perizonius. Quae vti huc fere quadrare videas, in illo OSTERSENIO euoluendo aliquid nunc temporis consumemus. Sane hic, neque contemnendus glossarum doctor; nam si id, quod verum est fateamur, caetera glossatorum turba omnino iacet f); neque ea genitus aetate, qua originem suam lingua Danica aegre diutius agnoscebat: sed vigente etiamnum, aliqua ex parte, antiquo sermone, opus famigeratum

e) De Vsu Graec. & Rom. lingg.

f) Vid. P. K. ANCH. Danske Lovhist. Tom. I, pag. 220. seqq.

conſcripſit *g*): at vero iuſtis linguae Isl. auxiliis, non inſtructus, tam in deriuationibus vocum neceſſariis ſtabiliendis, vbi aliquid hac in re dicere auſus; quam in genuino verborum ſenſu eruendo, in errores non vulgares delapſus eſt, ac ſaepe nugas agit. Vt taceamus de orthographia, quam a libris corruptiſſimis foedam accepit, atque integer ſequitur: quae tamen omnia beneficio linguae Islandicae, ad vnguem caſtigari, ſuisque cauſſis reddi fere potuiſſent *h*).

§. 6.

Haec ergo cuncta exemplis illuſtrabimus, quae legentium quisque mihi animum aduertant: & iam primum de *orthographia* Oſterſeniana videbimus. Andled ſcribere amat Öſterſenius: ſed deberet eſſe andlit, *facies*; quum ſit ab (at) and-lita, h. e. *contra tuendo i*): ſi quidem aliter confunderetur, cum voce led Isl. lidr, *artus, articulus*, ſi mimirum littera (d) in fine huius vocabuli adhibeatur. Et ſane rectius lex Cimbr. *k*) loco ab Oſterſ. allegato, lib. III. c. 29. legit anlæt, vel hanlætæ; quamquam ne ſic quidem omnino recte *l*).

Bierie,

g) Sub titulo: Gloſſarium Iuridicum Danico Noruegicum; cuius editione II. quae prodiit Hauniae A. M. DC. LII. vſi ſumus.

h) Cuius linguae eamdem vtilitatem fatetur IHRE Gl. Su. l. c. pag. XXXV. vbi ita loquitur: *eſt autem lingua haec Islandica, quae praecipuam facem mihi, origines vocum noſtrarum indaganti praetulit.*

i) Vid. IO. OLAV. Gloſſ. ad Synt. de Bapt. voce: and-lit.

k) Ed. Haun. 1783.

l) Vid. K. ANCHER. praef. in Leg. Cimbr. ed. laud. pag. IV.

§. 7.

Bierie, siue berge, siue byrghedt, *idem*, *legere*, *colligere*, inquit Ostersen. quum tamen vnicum modo, quod hoc in exemplo medium est, nempe berge, Isl. berga, biarga, *seruare*, recte se habeat. Pro sua lectione allegat Ostersenius Leg. Scan. lib. IX. c. 18. sed frustra: ibi enim neque habetur eius bierie, neque monstri aedepol simile byrghedt; ast legunt saniora exemplaria *m*) burgit, quod *seruatum* significat &, est terminatio participii passiui, neutr. gen. a verbo, de quo loquimur, (ek) berg perf. barg, & in partic. passiu. borginn-in-it, *seruatus a-um* *n*), quae terminatio part. pass. huius verbi in lingua Islandica varie adhibetur. Eamdem quoque censuram meretur bierieløn, quem ad modum legit Ostersen. quum scribendum esset: bergeløn, *praemium rerum naufragarum seruatoribus statutum:* quae etiam sanior orthographia in leges CHRISTIANI V. migrauit *o*). Allegat Ostersenius pro se CHRISTIANI IV. Leg. Norueg. tit. de praedd. locc. conducc. c. 21. ast hoc quoque ne quid quam; ibi enim est biergeløn, quod belle sane habet.

§. 8.

Boedo-lido-Mand legit Ostersenius, & pro se allegat Leg. Norueg. CHRISTIANI IV. tit. cit. c. 14. Et quidem

m) Ita nimirum legunt *editio Hadorfiana*, & *codex membraneus* ex biblioth. Magnaean. num. 39. form. 4. nisi quod Cod. in fine addit lit. (h.) vt sit burgith: G. a Gemen vero suo quodam iure legit byrghz, quod forsan Ostersenio praestigias fecit.

n) Vid. OLAV. Gloss. ad Synt. de B. voce: berg.

o) Vid. Leg. Dan. lib. IV. c. 3. art. 1.

quidem hic industria eorum, qui auspiciis regis Christiani IVti hanc legem concinnarunt, cum Osterſenio facere videtur: quin idem vitium in Leg. Noru. CHRISTIANI V. lib. III. c. 13. art. 1. inrepsit. Atqui stant nobis cum antiquiores Noruegiae leges; neque ratio huius Orthographiae reddi alicunde potest: id autem inane merito habemus, cui non subest ratio. Itaque lingua Islandica suadente legimus boe-løs, siue boes-løs mand, Isl. bú laus, siue búslaus madr, *egens habitatione*; quia deriuatur a verbo (at) boe, Isl. búa, *habitare*, *incolere*, ac løs, Isl. laus, *solutus*.

§. 9.

Forheye, vel for-heyde, *profundere*, *dilapidare bona sua*, Osterſenio placet. Liquido iurem scribendum esse: for-eyde, Dan. hod forøde, *consumere*; a partic. for, fyrir, qua eodem fere modo vtuntur Islandi, ac Romani suo *per*, & eydi, *vacuum*, *inane*. Allegat quidem Osterſenius plurimos Legg. Scan. & Sell. ERICI reg. locos, sed illi omnes nihil faciunt, & sic notus Gothofridus a Gemen *p*); neque ego vtique librariorum insaniam moror.

§. 10.

Trælbord legit Osterſenius rectius thrælbarth, Isl. þræl bardr, vel þræl barinn, *seruiliter caesus*; quam etiam lectionem habet excitatus ab Osterſen. locus Leg. Cimbr. *q*) lib. III. c. 32. fit

p) Vid. K. ANCH. Danſk. Lovh. Tom. I. pag. 63.

q) Ed. laudat.

ſit enim a thræll, Isl. þræll, *ſeruus*, ac participio verbi Isl. (at) betia, *verberare*, in per. paſſ. bardr, barinn, *verberatus*, pulſatus *r*). Oſterſenius quoque noſter non ita bene legit: viiſſt in Leg. Sell. ERIC. reg. lib. I. cap. 39. inſcript. quamquam recte explicat, *victum*, vel *alimenta corporis*; quum legendum eſſet: viſt, quod in Islandia ſat notum; vti etiam dudum ab aliis obſeruatum eſt *s*). Et iam poſſem ſexcenta talia proferre: verum ſatius duximus ex infinita prope ſegete aliquid tantum demetere, quo nobis propoſitum ſaltem oſtenderemus; ne nauſea lectorem occupet. Et ſi autem Oſterſenio ſequenda neceſſario fuiſſet orthographia vaga, & diſtorta, & de qua iam vidimus: tamen ad ſingulas voces poſtea, quam genuinum ſtabiliuerat ſenſum, commode veram lectionem inculcare potuiſſet. Verum lingua Islandica deſtituto opus erat decipi; & ex Germania parum auxilii in his difficultatibus boreis ei ſperandum erat, licet in ea ſpe totus fuiſſe videatur *t*).

§. 11.

Quod ad *genuinum* porro *verborum ſenſum* attinet, ſane Oſterſenius illum vix ac ne vix elicuit, & ſi fortuna ſubinde melius conſulente, nullis adſtructum rationibus propoſuit: interdum vero totus aberrauit. Et his, ſi verum fateri volu-

r) In lege Dan. CHR. V. lib. VI. c. 7. a. 9. qui art. ex L. Cimbr. loc. cit. deſumtus eſt, legitur: trælbaaren; ſed deberet eſſe, trælbaren, atque adeo recte vertit HOYELSINUS.

s) Vid. K. ANCH. Danſk. Lovhiſt. Tom. I. pag. 411.

t) Videſis OSTERS. Gloſſ. Iurid. voce: Coſardi-Skibe.

volumus, omnibus molestiis propter ignorantiam linguae Islandicae implicitus est vir bonus. Quod vti scias, ita, quemadmodum diximus, accidisse, in ipso statim glossarii sui limine impingit, vbi de particula, *aa*, quae in Leg. Norueg. CHRIST. IV. tit. de sanctit. ciuium, cap. 9. habetur, differens ait: det aa haand, *h. e. ita fecit, vel fieri mandauit.* quae legis Noruegicae verba hercule ne ita explicasset, si id, quod primum est in lingua Islandica, nimirum particulam *á*, rite hausisset, qua Islandi eodem fere modo vtuntur, ac Romani suo *in*, & Dani hodie paa; & quam particulam hoc loco haberi, ex contextu patet: at vidne det aa haand, Isl. at vitna þat á hann, [i. e. *testimonium* (de homicidio ab eo perpetrato) *in illum dicere u*). Monendum tamen, post vocem vidne incidi non debere, vt in exemplari huius legis, quod mihi videre contigit, factum est.

§. 12.

Et iam plurima exempla adferemus terminorum iuris male explicatorum; Ostersenium que in illis tam enarrandis alucinantem, quam deriuandis fluctuantem oscitantemque omnium oculis proponemus.

§. 13.

Bœrie, *vulnerare* explicat Ostersen. & pro sua explicatione, vti videtur, allegat varios Leg. Cimbricae locos, quos iam ordine inducemus. Et

u) Hoc etiam obseruauit ampliss. K. ANCH. in sua Dansk. Lovh. Tom. I. p. 225.

Et primum quidem lib. II. c. 30. haec leguntur: bæriær man oc bonden eth ſæræ ælder hans huſfræ æthæ andræ hans hion. i. e. *ſi quis patrem familias* PULSAT *aut vulnerat, ſiue ipſum, ſiue vxorem eius, ſiue famulitium.* Vbi ſole clarius eſt verba, bæriæ ac ſæræ ſibi in vicem *opponi*: alias enim inanes moras necteret lex, neque ab tautologia, quam vocant, vllo modo defendi poſſet. ſed minime ineſt tautologia: verbum enim ſæræ, Isl. (at) ſæra, *vulnerare* denotat, ab etymo ſár, Dan. hod. ſaar, *vulnus.* verbum autem bæriæ ſignificat, vti quoque antea (§. 10.) monuimus, *verberare, pulſare*, Isl. beria, quod hercle ex eius ſono, quo Romanorum *ferio* proxime reſpondet, ſi mens non laeua fuiſſet, vtique perſpici oportuit.

§. 14.

Deinde verba legis (Cimbr.) lib. III. c. 28. haec ſunt: dræper ænnen man then ther. han ſottæ til manhælſd. tha haldær han ſin frith. æn bæriær han ham. bøtæ ekki foræ. i. e. *ſi quis eum, quem pace damnatum egit, occiderit, ſua* (tamen) *pace fruitor. ſi vero eum* CECIDERIT, *ſine noxa eſto.* Quam commodiſſimam huius loci explicationem eſſe, facile mihi largietur cordatus lector.

§. 15.

Atqui, dicet aliquis, in ſenſu, quem Oſterſenius adfert, verbum (at) bærie adhibetur lib. II. (Leg. Cimbr.) c. 78. verba legis ſunt: oc ſculæ the æi ſwæræ vten vm hælghæt brot. thet ær

of man biriæs vm hælugh dag. i. e. *illi, nisi de festo violato, hoc est, si festis diebus homines* ARMIS CONLATIS DIMICANT, *non iuranto.* Nec non lib. II. c. 83. hwa sum ther i mellæ byriæs. han bryter hælgh. i. e. *qui interea* ARMIS DECERTAT, *festi violati reus esto.* Cuius ab ea, qua primum vsi sumus, vocabuli nostri diuersae expositionis, euestigio rationes reddemus.

§. 16.

Verbum (at) bæria omnino linguae Islandicae est, atque etiam nunc in sermone eius insulae quotidiano superstes, scribiturque ac legitur (at) beria (disyllab.) & in *forma actiua* obueniens nihil vnquam aliud, quam *verberare pulsare* significat quemadmodum & in duobus prioribus locis Leg. Cimbricae hic allatis vertimus. At in duobus posterioribus, nempe lib. II. capp. 78. 83. verbum nostrum adhibetur in *forma media v)*, & significat: *dimicare, armis decertare;* qua significatione in hac forma semper gaudet, neque aliter vtuntur monumenta Islandica optimae notae, quod pluribus euinci posset: verum lectorem tot testimoniis grauare nolumus. At tamen ex Vita Gunnl. Vermilinguis *x)* non nihil adferemus, vbi c. 12. haec leguntur: sidann genguz þeir at,

oc

v) Hanc formam in Islandica, non secus ac Graeca lingua, agnoscunt hodie eruditi. Fit autem prima persona Indicat. medii, verbi (at) beria, hoc modo: (ek) beriumsc (beriumz, berz) dimico, pugno. Sic: fordumsc, fugio, vito; látumsc, simulo; hyggiumsc, cogito; minnumsc, memini, recordor, cet. Et hercule terminatio Islandica (umsc) a Graecorum (ομαι) quam prope abest.

x) Edit. laudat.

oc baurduz frækiliga allir. i. e. *y*) *deinde in vicem congressi, omnes fortiter* PUGNANT. Et paullo post: oc þá baurduz þeir tveir med stórum hauggom ok auruggum atvángi, er hvarr veitti audrum, ok sóttu einatt í ákafa. i. e. *z*) *tum vero ipsi, vehementi adsultu saepius facto, magnis ictibus, validoque impetu, quo vnus alterum adgrediebatur, in vicem* DECERTABANT. Ex quo ambitu orationis facile perspicies, aliter verti non posse. Atque ita quidem locos Leg. Cimbricae hic adlatos ad genium linguae Islandicae reduximus, cui neque textus legis admodum repugnat, neque instituta priscae aetatis aliud suadere videntur: fieri tamen posset, vti & hic primam suam significationem retineret verbum (at) beria, siue bærie, videlicet: *pulsare, verberare*; & quod verosimile vtcunque facit inscriptio cap. 32. lib. III. (laud. Leg.) quae est: vm bardagh *a*), vbi tamen, non hastarum, neque gladiorum; verum calcium solum ac pugnorum mentio fit: quamquam, vox bardagi, in libris Islandicis vbique *praelium* denotet. At vero, quae de *forma media* monuimus, valebunt tamen ita, vt hic significetur *pugna*, licet iustis armis destituta; at certe verberibus, pugnisque horrida: quod obiter dicere voluimus.

§. 17.

y) Ex vers. Hauniens.

z) Ex ead. version.

a) Vid. K. ANCH. Gloss. ad Leg. Cimbr. ed. laud. voce: bardagh.

§. 17.

Vidimus de verbo (at) bærie, & quomodo id linguae Islandicae ope commode tractari potuisset; neque vnquam *vulnerare* significet: iam de altera voce, in qua explicanda Ostersenius noster paullulum quoque dormitauit, aliquid dicemus. Byrd esse Slekt oc Frender, ait ille, h. e. *gentem & cognatos;* & pro sua explicatione locos legis Cimbr. allegat, quos iam nunc adducemus. verba legis sunt, lib. I. c. 28. ær engi thæræ til. tha scal næstæ man i byrth wæræ weri i. e. *si nullus horum escit* (pupillo) GENERE *proxumus tutor esto.* item lib. II. c. 26. hwa sum vtær mer æri byrth. æn at fiærth man. i. e. *qui* (a reo) SANGVINE *remotior est, quam quarto gradu.* Nec non lib. III. c. 64. the sculæ oc næfnæs ther æi aghæ byrth vith then thær sak giuær. i e. *ii quoque, qui actori* SANGVINE *coniuncti non sunt, nominantor.* In quibus omnibus Leg. Cimbricae locis, vox byrd, siue byrth, Isl. burdr (masc. gen.) nihil aliud (quod & P. LASSENIVS vertit) quam *genus* denotat, siue *cognationem pro qualitate personae sumtam;* minime vero *ipsam personam*, vti Ostersenius voluit. Cum quo etsi facere videatur IHRE *b*), plurimas huic vocabulo significationes tribuens: eas tamen omnes, v. gr. *ius retractus*, & *fundus iure natiuitatis possessus*; ex adytis linguae Danicae veteris esse depromtas, nihil est, quur credamus. Deriuatur byrd a verbo (at) bere, Isl. bera, proprie *ferre*; item *eniti*, *parere c*): quod nostram explicationem aliquatenus firmat.

§. 18.

b) Gloss. Suiog. voce börd.
c) Vid. OLAV. Gloss. ad Cogn. Spirit. voce: barn

§. 18.

Atque ita vocem byrd secundum linguam Islandicam exposuimus: nunc breui dicemus de vocabulo hette=ved, quod, *experiri cum aliquo; committere se alicui*, explicat Ostersenius. Verum toto errat caelo. Textus enim legis Cimbricae ab eo excitatus longe aliter intelligendus est. Haec sunt nimirum verba legis, lib. II c. 97. *d*) æn en mans garth eth twa særlic ma man æi ransakæ. vtæn of han hættær sinæ thre mark with. of han sinnær ther æi thiufneth innæ. i. e. *vnius autem, duorumue seorsum domos scrutari nemini ius esto, nisi* DE *tribus marcis*, PERICLITARI (malit) *si rem furto sibi ablatam ibi non inueniat.* Et lib. eiusd. c. 107. swæræ hanum a hand til swa mykæt sum han thor hans eth a hættæ. i. e *tantum in illum iurato, quantum suo* PERICULO *iurare ausit.* Quae verbi (at) hættæ vera significatio, vnicuique omnino, vti putamus, in procliui erit, si, & paullo adtentius verba legis animo perpendat, & aliquantulam e lingua Islandica lucem difficilibus adfundat; quod vtrumque Ostersenius noster omisit: nec enim ambitum orationis moratur; neque etymon elicit, vnde aliquid tandem posset certum statui.

§. 19.

Itaque sciendum est, illud Ostersenii hette=ved re vera esse *duo vocabula*, & omnem subunionem, quam vocant, hinc eliminari debere; quando

d) Ex edit. laudat. qua quoque sumus in his omnibus locis adferendis vsi.

quando quidem verbum hætte per se subsistit, & modo cum particula ved, Isl. vid, *apud*, *contra*, saepius construitur; minime vero vnam vocem conficit. Est autem verbum hætte, Isl. (at) hætta, ab etymo Islandico hætta (fem gen. in genit. hættu) *periculum*; & hoc iterum ab hátt, *sublime*; quae est terminatio neutr. gen. adiectiui hár-há-hátt, *altus-a-um*, *sublimis e*): vnde nomen hætta proprie *praecipitium* denotat; & verbum nostrum (at) hætte, primo significat *in huius modi periculo esse*; ac deinde *quouis discrimine exponi*, *periclitari:* quo sensu in locis legis Cimbricae nuper adlatis habetur; neque vllibi aliud denotans hoc verbum facile inuenies. Accedit, quod eruditiss. IHRE *f*) nostram sententiam tuetur, multisque, ex legibus, adlatis loquendi formulis euincit; neque plures admittit significationes; construique verbum nostrum cum particula vid ostendit disertissime.

§. 20.

Sed hos circulos non ita pridem turbauit vir quidam doctissimus, qui de hoc verbo differens ait, id longe aliud denotare, nimirum: *potiri*, *possidere*; quod ex duobus legis Cimbricae locis demonstratum iuit. Verum pace illius verbum (at) hættæ etiam hic eam, quam paullo ante (§.19.) ostendimus, significationem retinere, non est, quod dubitemus: quum neque aliunde adferri potest exemplum diuersi sensus; nec verba legis huic

e) Vid. OLAV. Gloss. ad Synt. de Bapt. voce: hætta.

f) Gloss. Suiog. voce: hætta, periclitari.

huic vtique adceptioni aduersantur. illa sunt lib. I c. 30. huar ther anneus weri scal weri. han scal sua myket hauæ with at hættæ sum han taker under sinæ weri meth full eghen. i. e. *qui alteri tutor dandus est, ipse tantum in bonis*, DE *quibus* PERICLITARI *possit, plena possessione habeto, quantum in suam tutelam recipit.* Vbi with at hættæ referendum est ad meth full eghen, vt sit sensus: pleno dominii iure tutor teneat pecuniam; de qua periclitari possit, si tutelam sibi demandatam minus recte gesserit. Huius enim sententiae legis latorem fuisse nostrum ex contextu capitis nuper adlegati certum est; at quem hic longiorem adscribere non potuimus.

§. 21.

Lex porro Cimbrica, lib. II. c. 52. ita infit: tha gialde e thre mark til thes han worther swa fatuk at han hauær æi thre mark with at hætte. i. e. *tum tres marcas luito, donec eo paupertatis redactus escit, vt ne quidem tres marcas* (in bonis) *habeat*, DE *quibus* PERICLITARI *possit.* Namque periculo rerum suarum nominati, vt vulgo vocant, siue quaesitoris munus subterfugit ciuis, &, vt paullo ante inquit lex (c. 51) tha liggær hans thre mark with, i e. *trium marcarum damnas escit*, si id gerere recusat. Accedit, quod particula with, siue rectius vith, huic sensui abscisse subfragatur. Et hercule lex ita valde proprie loquuta est, reique naturam optime expressit. Neque nos a prima & propria vocum significatione temere recedendum arbitramur, in

primis in veterum monumentis explicandis; quoniam ea, vt saepissime, antiquam simplicitatem proprietatemque sermonis vbique spirant. Sed viro docto vti credimus, imposuit locus legis Dan. (CHRIST. V.) lib. III. c. 17. a. 5. qui ex lege Cimbr. lib. I. c. 30. minus bene exscriptus est. Nihil autem est caussae, quur viro eruditissimo, ex formula antiqua, vith at hætta male intellecta, recentiorem, ved at hæfte, quam *possidere* explicant; & inde vederhæftig, *qui soluendo par est, locuples*, descendere non concedamus lubentissime.

§. 22.

Haec sufficiant de verbo (at) hætte. Iam de nomine substantiuo ieffnit, quod Skiffte oc Deeling, & Latinitate donans, *herciscere familiam*, explicauit Ostersenius. Quam mallem terminis iuris Romani abstinuisset, & quid vellet apertius significasset. Quod si vero ex his tenebris, quem ad modum suspicari liceat, docere nos voluit vocem ieffnit significare, *diuisionem bonorum familiae erciscundae*, immane quantum a recto distat. Audiamus locum legis Cimbr. quem in praesentia vir bonus adlegauit. Ille est lib. I. c. 16. alle syskæn liuende oc allæ loot ere vlatne tha ma af wil annen syskæn kalle a mere — oc til iafneth with andre. i. e. *si fratres ac sorores omnes in viuis sunt, partesque hereditatis sorte non adceptae: tam fratri, quam sorori alterum maioris portionis postulare liceto* — AEQVALEM*que reliquo-*

reliquorum petere. Cui noſtrae verſioni iam nunc argumenta dicemus.

§. 23.

Vox ieffnit, ſiue rectius iafnetħ, Isl. iafnadr, & iaufnudr (maſc. gen.) eſt a verbo (et) iafna, vel iamna, in perf. pauſſiu. iafnadr, Dan hod. iævner, quod *complanare*, *aequare*, denotat, & hoc iterum ab adi. nomine iamn, ſiue iafn — iaufn — iafnt, *planus* - a - um, aequus. Quare adſerimus verbale iafnetħ denotare *planitatem*, *aequitatem*: vti huic e diametro oppoſitum, úiafnadr, *iniquitatem*, *iniuriamque* ſignificat. Et hoc ſenſu adhibetur vox noſtra in loco legis Cimbricae ſupra (§. 22) adlato; quem ad modum & in CHR. V. lege Danica, lib. V. c. 2. a. 61. neque vnquam pro ipſa *diuiſione bonorum* adcipiendum: verum *aequalitatem portionum familiae erciſcundae* omnino exprimit; quae minime confundenda ſunt, licet illa aequalitas non, niſi per iteratam bonorum diuiſionem obtineri poſſit. Aliud enim eſt ipſa illa diuiſio: aliud huius diuiſionis effectus *g*).

§. 24.

Pergimus ad voculam illæligę, quam lige ſom ilde, *vel* ilde giort, explicauit Oſterſenius, h. e. *quaſi male*, *vel male factum*; ſi verbum verbo reddas. Certe neque hic in paruis valde oculatus eſt vir bonus: at quod illi tum ob inſcitiam

 linguae

g) Vid. K. ANCH. Gloſſ. ad Leg. Cimbr. voce: iafnetħ hænde.

linguae Islandicae, accidisse omnino in aprico est, tum quoque ob analogiam nihil prorsus obseruatam, vocum adhuc in patrio Daniae sermone remanentium. Vocula enim illeliue, Isl. illiliga, aduerbium est, & significat: *male*, *perperam*, *praue*; ab adiect. Isl. illr — ill — illt, *malus — a — um*, *prauus*: vnde, ilde, *male*, aduerbium in Dania etiam nunc superstes. Formatur autem vox nostra ab adiectiuo, illr, addendo terminationem aduerb. lige, Isl. liga, qua nos vtimur, quem ad modum Romani suo, *iter*, in: *dociliter*, *breuiter*, *comiter*, cet. Et in Dania nostra exstant adhuc aduerbia huius terminationis, vt: lovligen, *legitime*, visselsgen, certe, nyligen, *nuper*, cet. *h*). Itaque aduerbium nostrum significat, *vere male*; non autem, *quasi male*, quod Ostersenius coniectauit. Occurrit haec vox in lege Sell' ERIC regis, lib. I. c. 41. sensu plane, quem demonstrauimus.

§. 25.

Vidimus, quomodo vocabula iafnetſ atque illeliue ad linguam Islandicam reducta commode possint enarrari. Nune de voce langſkib, quam cum landværne-ſkib confundit Ostersenius, aliquid obiter dicemus. Est sane langſkib, Isl. lángskip, nihil aliud Septemtrionalibus nostris, quam *nauis longa* Romanis, & μακρὸν πλοῖον Graecis;

h) Littera finalis in lovligen pro lovlige, cet. dialectum quamdam sapit; & ita hodie orientalis quoque Islandiae, qua ad austrum vergit, incolae omnia aduerbia in, liga, terminantia, & plurima alia efferunt — ligana, vt: nyligana, pro nyliga, Dan. nyligen, *nuper*.

cis; bellica puta ab longitudine ita adpellata, qua insigni erat, vti eo facilius remis impelleretur, militumque capacior esset: qualium nauium saepissime mentionem faciunt scriptores, tum Graeci & Romani, tum quoque Islandici, quos omnes hic enumerare frustra nobis esse videbatur. His, quae diximus, quoque conuenienter deriuatur vocabulum langskib a lang, Isl. lángr, *longus*, & skib, Isl. skip, *nauis*. At hoc tamen nauium genus non, nisi ad tutandas oras maritimas adhiberi sueuisse putat Ostersenius, etymologia sua, vt vero simile est, deceptus: verum ex monumentis Islandorum historicis plenissime elucet lángskipin, h. e. *naues longas* in Septemtrione hostro & ad piraticam faciendam emissas, & maximis naualibus praeliis adhibitas fuisse, longinquisque inseruiisse expeditionibus. Ita Olaus Trygguii fil. Noruegiae rex in expeditionem, quam in Vindlandiam (Pomerania hodie vocatur) suscepit, naues longas LX. eduxit; eiusque nauis regia, quae **Ormurinn Lángi**, i. e. *Draco Longus* dicebatur, omnino láng-skip, siue *nauis longa* erat, eximiae licet insolitaeque magnitudinis; qua tum ille a regno suo longe seiunctus, ac trium regum insidiis armisque circumuentus, ad Suolduram adeo memorabilem edidit pugnam *i*). Proinde maioribus nostris nauium genus, de quo agimus, eiusdem, cuius Graecis & Romanis naues longas, vsus fuisse non inuiti concludimus. Neque tamen, cum haec

 dicimus

i) Vid. Vita Ol. Trygg. fil. ed. Scalholt. Tom. II. cc. 63. 71. 81. 85. & sectio de pugna Suoldurensi, c. 86. seqq. Item SN. STVRLVSON. Heimskr. lib. VI. ed. Peringsk.

dicimus, istas ipsas naues ad tuenda maritima negamus aliquando adhititas esse: verum bellicas fuisse adseueramus, quo plane sensu haec vox occurrit in lege Norueg. CHR. IV. tit. de expeditionibus, c. 18. (loco ab Ostersenio excitato) vbi talem nauem aedificans sine publica auctoritate, perduellionis reus esse vtcumque iubetur.

§. 26.

Haec de vocabulo laug=skib. Progredimur ad vocem høs, quam Ostersenius putat denotare, *os*, ideo, quia in lege Scan. tit. de inexpiabilibus, c. 19. legitur: æn vorthe alle tænner slag=ne af høsen. i. e. *si omnes dentes ex* CAPITE *effringantur.* Et enim capiti non minus, quam ori insunt dentes, atque, vti vertimus, hes, Isl. haus, *caput* significat, & proprie *caluam*, siue eam partem capitis, qua cerebrum continetur. Ita nimirum in Vita Ol. Trygg. fil. *k*) adhibetur: oc klauf margs mañs hans oc hausut med sinu sverdi. i. e. *& diffidit* (Olaus rex in praelio ad Suolduram) *multorum hominum* CALVAS *& capita suo gladio.* At tamen hic esse potest pleonasmus emphaticus ad exprimendam rei magnitudinem, ita, vt vox haus *caput* quoque significet. Adferemus alium locum ex eadem O. Trygg. fil. Vita *l*), vbi haus non dubie pro *calua* ponitur: Wig=fús Wigaglúms sun tók þat til ráds, at haun grípr upp nessjedea einn mikinn er þar lá, oc keke nesit

k) Tom. II. c. 88. ed. laud. qua hic etiam vbique vsi sumus.

l) Tom. I. c. 153. Vid. praeter ea c. 75. Tom. II. pag. 264.

nesit í haus Asláki; enn við því mátti hann ekki gera, oc sekkr stedea nesit í skallanum sva at í heilanum nam stadar, oc fell hann þegar daudr niþur. i. e. *cepit id consilii Vigfusius Vigaglumi filius, vti propere adriperet incudem rostratam ingentem, quae ibi* (in foris) *iacuit, impingeretque rostrum* CALVAE *Aslaci: quod cum ille* (malum) *vitare non potuit, rostrum incudis per caluitiem penetrans est in cerebrum adactum; &* (Aslacus) *e vestigio mortuus concidit.* Neque vnquam haec vox in libris Islandicis aliter, atque iam monuimus, adcipitur.

§. 27.

Tarff, *lucrum* explicat Ostersenius; verum minus bene: nam proprie *indigentiam* significat (itemque *vtilitatem*, quia maiores nostri nihil sibi vtile ducebant, nisi quo indigerent) Isl. þarfi, origini suae conuenienter. Deriuatur autem a verbo Isl. (ek) þarf, *indigeo*, *opus habeo* m). Videamus legem Cimbricam ab Ostersenio adlegatam, quae lib. I. c. 29. ita infit: æn sel mother sin iorth for thrang. then timæ hun siter meth them. oc ganger iorthæ wærth them allæ til gaunæ oc til tharfæ. i. e. *si mater necessitate adacta praedium suum alienauerit tempore, quo* (liberos) *secum habet; & pretium praedii in eorum omnium vtilitatem* INDIGENTIAM *que* (leuandam) *versum fuerit.* Quae verba legis ita adcipienda esse, voculamque nostram in sensu, quem diximus, hic quoque adhiberi, vti & in sequenti

 eius-

m) Vid. IHRE Gloss. Suiogoth. voce: tarfwa.

eiusdem libri capite, vnicuique ex contextu patebit. Neque enim lucri caussa, si proprie loqui velimus, mater eo necessitatis adacta praedium suum alienat; verum ad se & liberos suos sustinendos, alio modo id facere non potis. Conf. laudat. legis lib I. c. 14. & lex Island. Jóns bók dicta, tit. de nuptiis, c. 3. in princ.

§. 28.

Diximus de vocibus hos & tharf. Nunc de vocabulo tegen gield, quod, *mulctam in criminis agitationem & testificationem*, explicauit dudum Ostersenius; aliquantisper agemus. Ego vero, quid sibi ea explicatio velit? equidem nescio. Ex verbis tamen Ostersenii ad hanc vocem Danice conceptis videre mihi videor, illum existimasse vocabulum nostrum significare: *mulctam duodecim marcarum*, quas vocant, *si priuati de homicidio transegerint*, *regi debitam*. Et sane quidam eum sequuti hanc opinionem late fuderunt, Ostersenijque explicationem stabilire conati vocem tegen-gield *esse* dixerunt *quasi* tagen gield; & ita neque dubitarunt deriuare a verbo (at) tage, Isl. taka, *sumere: quoniam*, inquiunt, *haec poena pecuniaria iis indicta est, qui domi de homicidii actione transigunt*, *& eo modo ius suum sibi ipse quasi sumunt*, *& sine publica auctoritate persequuntur*: quod tamen de loco quodam legis Cimbricae, qvem iam nunc adferemus, prope vnice valere iubent. Est vero hic ille locus legis Cimbricae, circa quem omnis lis haeret, lib. II. c. 13. fæstæs boot hæmmæ. oc suaræs æi um. tha a ku-

a kunung thæghæn giald. i. e. *ſi de mulcta domi transigatur, neque de illa iuretur, regi* COMPENSATIO SVBDITI *debetor.* Cuius verſionis hoc modo rationem reddimus: vocabulum noſtrum neque a verbo (at) taqe vllo pacto originem ducit, quum prima eius ſyllaba per (th) in libris ſanioribus ſemper ſcribatur: & hercule illi ſua, vt plurimum, orthographia falſi hanc deriuationem, ne nihil dicere viderentur, effinxerunt. Praeter ea de homicidio poena pecuniaria expiando inter priuatos lege etiam Cimbrica recte conueniri potuit, quando quidem id, quod ſcimus, ea lege nusquam expreſſe prohibitum fuit. Notum quoque eſt reges olim & principes in Septemtrione noſtro, ſi eorum aulicus vel ſubditus occiſus eſſet, id omnino grauiter tuliſſe, atque huius generis facinora acerrime vindicaſſe, vti etiam boni principis & ciuium ſuorum amantis eſt: vnde legibus tandem ſancita fuit *poena pecuniaria ſubditi occiſi*, quae thegn-giald *n*) dicebatur. Accedit, quod haec noſtra ſententia, tum moribus antiqui ſaeculi, tum aliarum quoque nationum inſtitutis, & omnino, quotquot vocabuli noſtri mentionem faciunt, legibus ſit conuenientiſſima.

§. 29.

Itaque hoc modo locum legis paullo ante adlatum intelligimus: regi ſemper ſoluendam fuiſſe mulctam thægn giald, atque etiam, ſi actio homicidii priuata auctoritate compoſita fuiſſet; & omnino ita lege fieri debuiſſe, niſi veridico-

rum,

n) Lex Islandica, vulgo Jons bok, tit. de factit. ciu. c. 1. vocat, þegn-gylde, eodem plane ſenſu.

rum, quos vocant, iure iurando reum se necessario defendisse adsertum esset: tum enim rex solummodo mulctam blottvitæ dictam capiebat, vti ex capite legis Cimbricae (§. 28.) adlegato palam fit. Deriuamus igitur vocabulum thegngiald (quod male tegen-gield scribunt vulgo) a giald, *solutio*, *compensatio* o), & voce Islandica þegn, quae *ciuem* vel *subditum* denotat; atque ita adhibetur in Vita Ol. Trygg. fil p) vbi haec leguntur: epter þat tekr Haraldur vid landi oc þegnum, oc allu því ríki, er fadir hans hafdi átt. i. e. *deinde Haraldus* (Gormi Grandaeui filius) *terram & SVBDITOS accipit, atque omne regnum, quod pater eius tenuerat:* h. e. rex Danorum salutatur. Et alibi q): oc þetta fer fram, at þeir sverea land oc þegna Sveini konúngi. i. e. *atque ita factum est, vti* (Dani) *Suenoni regi* (Haraldi filio) *regnum & CIVES adiurarent:* siue praestarent homagium. Enimuero iterum deriuamus þegn (thegn) a verbo Isl. (ek) þigg, in perf. þág, vel þágdi, & per euphoniam þádi, infinit (at) þiggia, *adipiscor*, *adcipio*: quia, vti in eadem Vita O. Trygg. fil. r) legitur: þegnar þiggia ódul sín oc frelsi af konúnginum. i. e. *ciues praedia sua gentilitia & libertatem a rege* (quasi) *adcipiunt* s). Hoc autem ita intelligas: regem ciuibus pacem procu-

o) Vid. OLAV. Gloss. ad Cogn. Spirit. voce: geld.

p) Tom. I. c. 78.

q) Ibid. c. 129. vid. praeterea c. 70. & 71. eiusd. Tom.

r) Ibid. c. 22.

s) Lubuit hac formula, quem ad modum vides, vti, in alio fortasse sensu ibi, vnde nos sumsimus, posita: verum tamen quae deriuationi nostrae fenestram patefecit.

procurare, suaque auctoritate legibus vim addere: quod nisi faceret, atque ita omnino fieret, hercule quam subito in oculis esset chaos illud OVIDIANVM, vbi

— — nulli sua forma manebat.
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus t).

Nimirum ad statum naturalem cuncta reciderent, atque, vt HOBBESII Angli verbis vtamur, *bellum omnium contra omnes* e vestigio emergeret, suumque tutum videres nemini. Vnde summae potestati ciues, quidquid boni habent, non immerito adceptum ferunt. Itaque vox þegn primo & proprie *ciuem*, vel, vt hodie loquimur, *subditum* denotat; deinde vero de *quouis viro ingenuo*, & *bono* dici coepta est. Adcedit analogia, quam vocant. Nam quem ad modum þegn nostrum ab (at) þiggia, *adcipere*: sic etiam þaugn, *silentium* ab (at) þagna, *conticescere*, & hoc ab (at) þegia, *tacere*, *silere*; segn, *narratio* ab (at) segia, *narrare*, *dicere*; logn, *malacia*, *tranquillitas* ab (at) liggia, *iacere*, quia tum ponuntque iacentque venti; caetera. Aliam huius vocabuli deriuationem, quae vtique nobis quidem minus adridet, habes apud IO. OLAVIVM u), & IOH IHRE. v). Atque ita vox thegn-giald, *compensationem ciuis*, vel *subditi* significat; quo sensu etiam occurrit in lege Noruegica CHRIST. IV. tit de sanctit,

t) Metamorph. lib. I. v. 17. seqq.

u) Glossar. ad. Cognat. Spirit. voce: þegn.

v) Gloss. Suiog. voce: thegn.

tit. eiuium, c. I. vti ex contextu illius loci, quem hic adducere nihil necesse duximus, legentibus facile adparebit.

§. 30.

Vidimus de voce thegngiald. Nunc de vocabulo dannefæ, quod a multis multa perpessum est, variisque omnino agitatum casibus.

§. 31.

Igitur vocabulum dannefæ autumat Ostersenius denotare, *pecuniam in terra conditam, iterumque effossam, inuentamue, quae*, apud nos, *regis solius sit.* Vnde dannefæ ait *esse quasi* Danmarcks-fæ, h. e. *pecuniam Daniae propriam:* quae illius etymologia ne Stoica quidem, tamen multorum hercule aciem fregit. Nimirum his Ostersenii tricis moti aliqui, illum vtcumque tueri satagentes, adseuerarunt, *vocabulum nostrum nihil aliud significare, quam aurum & argentum, prouti lex Cimbrica*, lib II. c. 113. *habeat, inuentum siue in tumulis, siue in sulco, siue alibi;* & A. HVITFELDIVM castigarunt, quod ille vocem dannefæ, *hereditatem possessore vacuam* denotare alicubi dixerat. Inde porro adferere non dubitarunt, *vocabula* dannefæ *ac* danaarf *κατ' ἐξοχὴν significare ius*, nescio quod, *regibus Daniae proprium: vnde etiam in Suecia, Noruegiaque, hac quoque ab Danis mutuata consuetudine* (regibus videlicet permittere dannefæ ac danaarf) *iidem termini iuris paullatim inualuerint.* Et ita quidem Ostersenio patrocinantes illius caussam agunt.

§. 32.

§. 32.

Verum nos contra haec omnia primum monemus, vocis dannefæ in lege Cimbrica nullam plane mentionem fieri; atque adeo vocabuli significationem nullo modo inde euinci, explanariue posse: deinde vocabula dannefæ atque danaarf, ab Danis more mutuato, in Suecia, Noruegiaque obtinuisse non valde verosimile est: aut si ita omnino fuit, quur Dani cum Suecis & Noruegis his etiam vocibus communiter vsi sunt? vel vnde illi ipsi demum eas effinxerunt? Rationibus certe grammaticis linguae Danicae veteris, cuius haec vocabula esse omnes fatentur, siue Islandicae repugnat, vocabulum nostrum, quod etiam de danaarf dictum sit, deriuare a nomine proprio regis *Dani*, a quo Dania dicta est, & quod de ipso *Daniae* nomine, gentilique *Danorum* valeat: si quidem haec omnia onmina propria sine adcentu scribuntur etiam num in lingua Islandica more veterum, efferunturque: vox autem dannefæ in sanioribus manu scriptis, certe in lege Islandica Grágás, cum adcentu super impresso semper occurrit *x*). Et mediusfidius si aliter scriberetur, legereturue, ne vlla quidem eius vocabuli ex fontibus linguae Islandicae, ne dum aliunde, ratio, nisi argumentis minimi ponderis

x) Modus acuendi in lingua Islandica antiquissimus cum illo Graecorum acuendi modo nihil fere conuenientiae habet. Acuuntur autem vocales quinque, a, i, o, u, y, quas ad hodiernam Danorum pronunciandi rationem, ita exprimimus: aa, ii, oo, uu, yy. Addunt nonnulli sextam vocalem, e, adcentu notatam, & valere iubent, ie, iunctim efferendum; sed qua auctoritate, videant eruditi. Vid. IO. OLAVII Syntagm. de Bapt. prolegom. sub finem.

deris ac plane cepphicis effulta, vnquam reddi potuiffet.

§. 33.

Itaque nos diuerfam ab illa Ofterfeniana viam ingreffuri ad rite tractandum vocabulum noftrum, primum quidem antiquam vocis lectionem, pronunciationemque maioribus noftris vfitatam reftituere conabimur: deinde vero circumfpiciemus ex quibusnam potiffimum partibus, quae natiuum eius vigorem edant, nomen fat ambiguum conflatum fit. Atque ita ftatim monemus legendum effe dánar-fe: & iam denique deducimus vocabulum noftrum ab etymo fe, *pecus*, *pecunia*, & dán (fem. gen. in genitiuo dánar) *deliquium*, *mors*, conueniente Graeco, θάνος, *idem*; & hoc ab dá (neutr. gen) *deliquium*. Eft autem horum omnium primum verbum (ef) dey, in perf. dó, deydi. infinit. (at) deya, particip. paffiuo dáinn — in — it, *mortuus — a — um*, Dan. hod (ieg) døer, *morior*; conueniens Graec. δύω, *fubeo*, *occido*. Cuius noftrae deriuationis hanc figurationem pofuimus:

(ef) dey, in particip. paffiu. dáinn.
|
dá.
|
dán. y)
|
dánar-fe. dannefæ.

Quae

y) Vid. OLAVII Gloff. ad. Syntagm. de Baptifm. voce: dey.

Quae etymologia vocabuli noſtri omnium, me quidem iudice, optima eſt, quia & ſic eius vulgaris ſignificatio vtcumque adſtrui poteſt, & alias voces ab illo dán, *mors*, compoſitas atque deriuatas habemus in promtu. Ita nimirum a dán, nomine ſubſtantiuo deriuatur verbum (at) dána, *linqui animo*, *deliquium pati*, Dan. hod. daane, *idem*. Analogia quoque deriuationi noſtrae conueniente ab eodem dán compoſitum eſt dánar-dægr, *dies emortualis*, quo SN. STVRLVSONIVS vſus eſt z), vbi de Haquino Sigurdi filio, dynaſta Hladenſi in Noruegia, ita inquit: enn hina meſtu úhamíngin bar ſlíer hauføíngi til dánar dægor-ſíns. i. e. *verum infeliciſſimum tantus princeps* DIEM EMORTVALEM *ſortitus eſt.*

§. 34.

Ergo vocabulum dannefæ, rectius danar-fe a), Isl. dánar fe, vi vocis ſignificat, *pecuniam mortis*; atque adeo, ſi ſenſum eius genuinum ſpectemus, illud eſt aequiualens voci hybridae ſterbboe; videlicet primo & proprie denotat *pecuniam a mortuo relictam*, quam *hereditatem iacentem* Romani iureconſulti dicunt: & ſecundo eſt *hereditas a peregre mortuo relicta*; quo ſenſu in lege Islandica Grágás, tit. de hereditatibus, c. 13. b) adhibetur; id, quod totum hoc caput perlegentibus

z) Heims-kringla lib. VI. c. 56. ex edit. laudat.

a) Ius municipale Roſchild. legit, danafæ, apud P. K. ANCH. Danſk Lovhiſt. Tom. II. pag. 400.

b) Inſcribitur hoc caput: um dánar-fe oc erfdir erlendis. i. e. de pecunia, dánar-fe dicta, & hereditatibus peregre obuenientibus.

tibus facile patebit: ac denique tertia quadam significatione, *pecuniam possessore vacuam*, siue *cuius possessor ignoratur*, exprimit; quem ad modum ponitur in lege Selland. ERIC. regis, lib. VI. c. 27. & in CHRIST. V. lege Dan. lib. V. c. 9. a. 3. adde constit. nouell. a d. XI. Calend. Aprilis, A. 1737. quam pecuniam reges nostri, nullo tamen & si albinagii iure, quod vocant, sibi fere vindicarunt *c*).

§. 35.

Enimuero de voce danaarf, quum nostro dannefæ valde cognata esse videatur, quamquam ea iuris modo Suecici sit, atque doctissimus IHRE iam dudum sat feliciter enarrarit *d*), hic quoque monere nobis liceat; eam nullo modo a Gallico *d'aubeine* recte deriuari: verum non incommode ab eodem, quo dannefæ (quod etiam, vti supra diximus, danafæ vocabatur) etymo deducitur, nimirum dá, *mors*, vt sit Islandice, dánararfr: cui deriuationi vtcumque fauet medium (a) in danaarf magis, quam OL. VERELII coniecturae, hanc vocem esse a dáinn, *mortuus*; licet inde quoque deriuare nobis non displiceat praesertim, quum in monumentis Islandicis etiam habeatur, dá nn arfr, eiusdem fere significationis ac danaarf; quod contra cum Verelio facit. Sed vtcumque haec sese habent, tantum hoc dicere voluimus, nos quidem putare, vocabula danaarf ac dannefæ non differre aliter, atque *hereditatem ipsam* ab *pecunia*

c) Vid. K. ANCH. Dansk Lovhist. loc. cit.
d) Gloss. Suiog. voce: danaarf.

pecunia eamdem hereditatem constituente: ad quod credendum inducti sumus ex verbis legis Grágás, loc. cit. quum vox dánar fe ibi non minus de *hereditate peregre mortui*, quam *pecunia id genus hereditatis*, vtique adhibeatur.

§. 36.

De voce danne-mand, quae in legibus CHRISTIANI V. passim occurrit, hic quoque commemorare lubuit, eam non, vti quidam autumant, priorem sui partem (danne) ab eo etymo ducere, quo dannefæ; & multo minus a Danske mænd, puerili hercule etymologia, descendere: verum vti laudatus IHRE *e*) argumentis magni ponderis dudum commonstrauit, vocabulum danne mand ab Isl. dugandis mann, *vir fortis*, & in iurisprudentia, *vir bonus*, aptissime deducitur. Neque enim aliunde iureconsulto deriuandum esse censemus, quum veteres leges ibi semper dugandis mann habeant, vbi hodiernae danne mand: quamquam me non fugit, in lingua Islandica aliam quoque huius vocis originem haberi posse, licet eam GVDM. ANDREAE, in suo lexico Islandico, non ita bene tractauerit.

§. 37.

Haec de vocibus dannefæ, ac dannemand: iam de vocabulo angthug hion, quod in legibus Sellandica (ERIC. regis) & Scanica saepius obuenit, nostram quoque sententiam paucis dicemus.

 §. 38.

e) Gloss. Suiogoth. voce: danneman.

§. 38.

Vocabulum anøthug hion plerique *seruum* denotare autumant; & ſane hac in parte omnes fere conſentiunt: verum de etymo huius vocis integra lis etiam num pendet. Et hercule Oſterſenius noſter originem illius vocabuli in medio reliquit; niſi, quod anøtig=mand ait *eſſe* wnetig; quod, ecquid ſibi velit? aut quorſum collineat? fateor me neſcire; quum wnøtig, *non coactus*, *liber*, ſit oppoſitus *ſeruo* anøtug mand. Verum Oſterſenio quoque ſuum ſentire fuiſſe arbitramur, neque his ineptiis etymon vocis noſtrae deſignare voluiſſe; quamquam alii eum forſitan ita adceperint, hic quoque ſibi aliquid videre viſi ita, vt neque dubitauerint adſeuerare: anøtug hion (ſua orthographia, prouti ſaepe alias, decepti) *eſſe* unyttige, h. e. *homines nullius frugis*. Atqui hanc opinionem dudum ſat feliciter confutauit eruditiſſ. IHRE *f*) docendo, *ſeruos in Suecia antiquitus in cimeliis habitos fuiſſe*: cui illius adſertioni etiam ſuffragatur Romana loquendi conſuetudo, qua ſerui dicuntur *res mancipi*, hoc eſt, pretioſiſſimae *g*). Igitur, quum hae affaniae omnibus bonis merito diſplicerent, tandem ad linguam Islandicam concurſum eſt; atque etymologi deriuare coeperunt noſtrum anøthug hion ab anøthug, & hoc ab Isl. áunud, *ſeruitus*; quod porro compoſitum eſſe dicunt a particula intenſiua (á) & naud, *miſeria*, Dan hod. nød. Quod tamen per modum coniecturae poſue-

f) Gloſſ. Suiog. voce: anndðig.
g) Vid. I. G. HEINECCII Elem I. C. ſ. o. Inſtitt. §. 330.

posuerunt, non nihil ambigentes, hinc rite deriuaretur vocabulum nostrum, an potius aliunde eius originem adcirent. IHRE quoque Suecus eadem fere via insistens, nisi quod vocem ánaud *miseriam* interpretatur, & particulae illius intensiuae nullam facit mentionem: de qua deriuatione breuiter videbimus.

§. 39.

Est sane vox ánaud linguae Danicae veteris, siue Islandicae, saepiusque in monumentis illius insulae occurrit, ac *seruitutem* primo & proprie denotat (quod etiam etymo infra detecto plenius patebit) atque ita adhibetur ab scriptoribus Islandicis optimae notae; quos omnes hic enumerare, & nimis longum fore, taediumque legentibus pariturum credebamus. At ex Vita Ol. Trygg. fil. tamen non nihil adferemus, vbi haec leguntur *h*): drápo þeir suma, enn sumom skipto þeir med ser til ánaudar. i. e. *alios occiderunt, alios vero inter se dispertiebantur in* SERVITVTEM *dandos.* Item *i*): Sigurdur spyr, viltu nú verda leyste ór ánaud þessari? i. e. *interrogat Sigurdus: an ab illa* SERVITVTE *nunc quoque te vindicari desideras k*). In quibus locis (vti & iis, quos in nota (*k*) excitauimus, & breuitatis caussa adferre omisimus) ex contextu plane patet, vocem ánaud nihil aliud, quam *seruitutem* significare: cui nostrae enarrationi, ex lege Scanica terminum

h) Tom. I. c. 51.

i) Ibid. c. 52.

k) Vid. quoque eiusd. Tom. c. 167. & Tom. II. c. 18. & passim.

anøthug hiou de *seruis* semper intelligente, etiam plurimum roboris adcedit. Neque IHRE *l*) locos ex monumentis Islandicis a se adlatos satis adposite transtulit, vbi, verbi gratia, ex versione bibliorum Islandica, Exod. 2. v. 23. adfert: Israels banra andvaurpudu undir þeirra ánaud; ac vertit: *Israëlitae ingemiscebant sub sua* MISERIA *vel* SERVITVTE. Quurni simpliciter SERVITVTE? aliud enim interpretem hic intelligi voluisse, quam *seruitutem*, non est vero simile, quum Ebraeorum עֲבֹדָה exprimendum esset: neque enim hanc significationem vocabulo adfingere necesse habuit, quum omnia testimoniis plena sint, omnia huc faciant, vocem ánaud primo & proprie *seruitutem* exprimere: quae cum dicimus, non tamen negamus hanc vocem secunda quadam significatione *miseriam* denotare, a seruitute metaphora ducta, quum ea nihil fere miserius habeatur.

§. 40.

Deriuatur vox ánaud non, quod hi autumant, a particula intensiua; verum praepositione á, quae, vti supra quoque (§. 11.) diximus, Islandis idem denotat, ac Danis hodie paa, & Romanis *in*, verbi gratia: á bænum, paa gaarden, *in villa*; atque verbo (ek) nauda, *impello*, *vrgeo*, *cogo*; quod iterum fit a nomine substantiuo naud, *coactus*, *necessitas*, *angustiae*; Dan. hod. nød, *idem*; & hoc a verbo (ek) hnyd, vel nyd, in perf. hnaud, vel naud, *insto*, *premo*

l) Gloss. Suiog. loc. cit.

mo m). Omnium autem horum primum videtur eſſe verbum (ek) kny, in perf. knúdi, *adigo*, *cogo*, *impello*. Formatur porro ánaud (vti & hic quoque analogiam, quam vocant, oſtendamus) ab (at) nauda á, *inpellere*, *cogere*; quem ad modum ádrykkia, *propinatio*, ab (at) drekka á, *propinare*; ámæli, *increpatio*, ab (at) mæla á, increpare; ágángr, *ingreſſio*, *inuaſio*, ab (at) gánga á, *ingredi*, *inuadere*; áverki, *vulnus*, item *opus ruſticum n*), ab (at) yrkia á, *adoriri*, item *opus ruſticum facere*, *colere terram o*); & ſexcenta talia: in quibus omnibus praepoſitio á relatiua eſt, & refertur, ſiue ad locum, vt in ágángr, & áverki, *opus ruſticum*; ſiue ad perſonam, vt in áverki, *vulnus*, ádrykkia, ámæli, & in noſtro ánaud, vbi particula á ad ſeruos eſt referenda; & re vera exprimit *actum domini iugiter impellentis ſeruos ad opera facienda.* In aliis vero ad aliud haec particula refertur.

§. 41.

Atqui ab ánaud fit ánaudigr, ſiue ánaudugr (anethog, annødhug, vti lex Scanica legit) *p*) nomen adiectiuum, ſic vti: audigr — ugr, *diues*, ab audr, *diuitiae*; rádigr — ugr, *conſilioſus*, ab rád,

m) Vid. OLAV. Gloſſ. ad. Syntagm. de Bapt voce: naud.

n) Quo ſenſu aaverk adhibetur in CHRIST. V. Leg. Norueg. lib. I. c. 4. a. 7. & lib. III. c. 13. a. 2. Conf. lex Isl. Jons bok, tit. de praedd. locc. conduce. cc. 18. & 19.

o) Vid. Index vocum ad Kriſni-ſag. edit. Haun. 1773.

p) Vid. *Cod. membraneus* laudatus; item *editio Hadorfiana*

ráð, *consilium*; grimmúðigr — ugr, *crudelis*, *saeuus*, a grimmúð, *saeuitia*, caet. estque ánaudugr, *seruilis*, *seruus*, praedicatum subiecti madr, mannr, Dan. hod. mand, *homo*; siue est praedicatum hión, *famulus*, *puer q)*: quod vtrumque in lege Scanica non infrequens est. Huius vero totius nostrae deriuationis sequentem delineationem fecimus:

(ek) kny, in perf. knúði.
|
— hnyð, vel nyð, in perf. nauð.
|
nauð. dicitur & neyð, *idem.*
|
— nauða. dicitur & neyða, *idem.*
|
ánauð.
|
ánaudigr — ugr. anøthug.
|
ánaudugt hión. anøthug hien.

Est autem hión neutrius generis: quare debet esse in numero singulari, ánaudugt hión, Dan. anødigt hion, *seruus*, *serua*; & in plurali, ánaudug hión, Dan. anødige hion, *serui*, *seruae*, *seruitia*: quae generis, numerique obseruantia Danis etiam num est in vocabulis eiusdem terminationis, v. gr. behageligt, *iucundum*; in plurali, behagelige; farligt, *periculosum*; in plurali, farlige, & in aliis quam plurimis; quae omnia & ad genium veteris linguae Danicae, & ita optime flectuntur. Recte porro, me quidem iudice, commonuit

q) Vid. OLAV. Gloss. ad Synt. de B. voce: hion.

monuit eruditus IHRE *r*) anódig (man) *a* thræll *differre, pro vti bello captus, aut emtus seruus a verna*; quod ex loco legis Scanicae (lib. VI. c. 8.) ab eo adlato patet; vti & ex pluribus locis Vitae Ol Trygguii fil. elucet, in primis vero vbi ita infit *s*): þá heyrir mer at leggia ydr ei í ánaud, sem verdkeipta þræla. i. e. *tum mearum est partium vos non in seruitutem dare, pro vti emtos seruos.*

§. 42.

Ex quibus omnibus demum palam fit, maiores nostros, ad exprimendam seruitutis naturam, vocem ánaud *t*) sat adposite finxisse ab (at) nauda á þrælana, vel þrælunum, h. e. *compellere, cogere seruos ad operas faciendas u*): indeque hoc hominum genus, ánaugiga menn, atque ánaudug hion, i. e. *homines ac famulos sub coactu viuentes*, quam proprie adpellauisse vniuersi sentimus. Nihil enim prius est in seruitute, quam *coactus*, & hercule id primum eius indolem constituit: quoniam dominorum imperio subsunt serui, neque sui vnquam arbitrii potentes, inuiti singula faciant necesse est. Hoc vero, quod dixi, omnia saecula agnouerunt. Audiamus HOMERVM, qui

D Hecto-

r) Gloſſar. Suiog. loc. cit.

s) Tom. II. c. 18.

t) Danis hodie si in vsu esset, fieret, aanød, ab (at) nøde aa, siue paa; quem ad modum iage paa, drive paa, caet. & aanødige mænd; & aanødige hion.

u) Viget adhuc in Islandia, tamen & si seruorum statu abolito, formula loquendi (at) nauda a, & in quotidiano insulae sermone versatur.

Hectorem Troianum Andromachae vxori, quam in Graecia aliquando seruam fore animo praesagiebat, ita loquentem inducit:

Καί κεν ἐν Ἄργει ἐοῦσα πρὸς ἄλλης ἱςὸν ὑφαίνοις.
Καί κεν ὕδωρ φορέοις Μεσσηΐδος, ἢ Ὑπερείης
Πόλλ' ἀεκαζομένη. κρατερὴ δ' ἐπικείσετ' ἀνάγκη.

i e. ex versione Clarkiana:

Atque in Argo existens, sub alieno (imperio) *telam texas,*
Atque aquam feras ex fonte Messeïde, aut Hyperea,
Valde inuita: dura autem incumbet NECESSITAS *v*).

Vbi grauissimus poëta seruitutis naturam vnico vocabulo NECESSITAS, siue ἀνάγκη, breui complectitur. Neque infeliciter idem efficere conatus PHAEDRVS de Aesopo hunc in modum cecinit:

— — *Seruitus* OBNOXIA,
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis x).

In quibus ille seruitutem, voce adiecta OBNOXIA (quae nostro angsthaft fere respondet) legentium oculis pariter animisque quam luculenter exhibuit.

§. 33.

Hac tenus beneficio linguae Islandicae terminos iuris nostri, cum antiqui, tum vero etiam noui, aliquos, siue corruptos restituimus, siue dubios

v) Iliad. lib. VI. v. 456. seqq.
x) Fabull. lib. III. praef. v. 34. seqq.

dubios explicauimus; omniaque ſuis fere cauſſis reddidimus: demonſtrauimusque, quo modo iidem termini iuris, ab OSTERSENIO linguae Islandicae ignaro, & eum in ſcribendo ducem ſequutis, male adcepti, exigua huius ſermonis luce admota, penitus intelligi, atque vtiliter explicari potuiſſent: atque ita id, quod initio promiſimus, nimirum *oſtendere, quantum ad vocabula iuris Danici & Noruegici enodanda faciat lingua Islandica*, breuiter quidem effecimus: iſtud tamen ipſum, quod ſperare nobis fas eſto, quaſi ante legentium oculos non indecore poſuimus Quod ſi ita re vera eſt, opera virorum doctorum Iſlandice ſcientium; & in primis conſultiſſimi P. K. ANCHERI, cuius *gloſſarium* ad ſuam editionem legis Cimbricae iis, quae hac diſſertatiuncula agimus, abunde conſentit, vix hic commemorare neceſſe videatur.

INDEX

INDEX

VERBORVM IVRIS D. E. N. IN HAC DISSERTATIONE EXPLICATORVM.

Auetbng bion - -	§. 38.
Bærie - - -	13.
Byrd - - -	17.
(Danaarf) - -	35.
Dannesæ - -	31.
Dannemand - -	36.
Hætte ved - -	18.
Hos - - -	26.
Jafneth - - -	22.
Illelige - - -	24.
Langskib - - -	25.
Tharf - - -	27.
Thegngiald - -	28.

ERRATA.

Pag. 8. lin. 18. mimirum, *lege*, nimirum.
— 23. — 15. hoſtro, l. noſtro.
— 26. — 25. ipſe, l. ipſi
— 28. — 32. vude, l. vnde.
— 31. — 17. onmina, l. nomina.